



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1626

De delectu verborum ad amplificandum. Capvt XXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

naturas, illinc exquisitissimarum artium delicias, & cetera id genus augeri necesse est.

Sed qui proprii sint singulorum loci, commodius opinor in epidictico genere discernimus. Nunc ut id obiter præcepimus, res vel corporeæ sunt, vel ab omni materia concrecione seceræ, quæ sunt corporis expertes, ut Deus, Angeli, mentes, virtutes, scientiæ, primum ornantur loco negationis, quædam enim adeo sublimia sunt, ut facilius sit dicere, quid non sint, quam eorum naturam explicare, nec immerito sapientes illi Aegyptij apud Damascium, pro omni laude diuina ter *αὐτῶν*, id est *incognita caliginè* inclamant. Deum scilicet adumbrantes, cuius cognitio, cum tantis difficultatibus septa sit, melius scitur ignorando, quam temerè aliquid asserendo.

II. Loco ὑπεροχῆ hoc est eminentiæ, cum ex varijs rebus, quasi flosculos perfectionis decerpimus, quos in eare, quam commendandam suscepimus, longe excitatiùs vigere ostendimus.

Tertius locus est ab affectis, quo res spirituales *σπυριτωειδῆ*, id est, quasi corpore vestiuntur, ut præter suam naturam mortaliùm sensibus subiiciantur.

At verò ubi res corporeæ sunt, & ex varijs conflata partibus sapissimè, ut in descriptionibus fieri solet per ipsarummet partium enumerationem, & adiuncta frequentantur, quanquam nulla res est, quæ per omnes locos communes attolli non possit. Itaque in toto genere valent, quod docet Marcus Tullius, definitiones conglobatæ, consequentium frequentatio, & contrariorum, & dissimilium, & inter se pugnantium rerum conflictio, & causæ, & ea, quæ sunt de causis orta, maximeque similitudines, & exempla.

Figuræ in rebus illustrandis adhibentur leniores, & magis comptæ, ut hypotyposes, distributiones, antonomasie quædam excellentes. In contentionibus verò aduersus crimina usurpantur vehementes increpationes, ironiæ amarulentæ, epiphonemata, execrationes, Apostrophæ.

(.)

De delectu verborum ad amplificandum.

CAPVT XXII.

Verba quoque, quod præcipit M. Tullius, ponenda sunt illustria, & tamen inrita, ut *O acerbam mihi (iudices) temporis illius memoriam, & loci, cum hic in me incidit, complexus est, conispermisq; lacrymas*. Gratia, ut, *Præmiorum amplissimum gloria, qua breuitatem vitæ posteritatis memoria consolatur*. Plena, ut, *De me semper P. R. semper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmutescet vetustas*. Sonantia, *Polluerat stupro sanctissimas religiones, sanctus grauisima decreta perfrigerat*.

Addit idem auctor, iuncta, facta, cognominata, non vulgata, superlata, inprimisque translata. iuncta sunt composita, quæ grauius sunt anhelata, ut, *contrucidare, pertimescere*. Facta, ut, *Flamme Appietatem, aut Leniulitatem valere apud me plus quàm ornamenta virtutis existimas?* Sed hoc parcius imitandum. Cognominata, ut *expelletur, exterminabitur, eycietur*. Non vulgata, ut, *Quas ille præcepta mentia casti, prostratis quo sanctissimis lucis substructionum inanis molibus opprefferat*. Superlata, *saxa, & solitudines voce respondent*. Translata, ut, *Omnes in me, meosque redundans ex illo fonte dolores*.

Hæc omnino maiestatem attollunt orationis, ubi præcipue figuris dictionum illigantur, quales sunt, isocola, anadiplofes, asynthesa, Polysynthesa, & cetera huiusmodi, quibus ad rei cumulum circumductæ quasi tornoverborum circumscriptiones, quam aptissime iunguntur.

De mixtura locorum, & figurarum,

CAPVT XXIII.

Quod verò ad mixturam attinet locorum, & figurarum sunt, qui ista putidius inquirant, & putent nonnihil ab antiquis, in hac temperie religiosius obseruatum. Mihi verò videntur veteres Oratores ad hanc primum curam animum intendisse, ut quam illustres locos, & figuras deligerent. Deinde eandem pro rerum opportunitate, ut magistra ratio, & prudentia suaderet, variè commiscerent, in qua mixtura tanta est diuersitas, ut difficile sit certis iam completi legibus.

Nam